DISSERTATIO MEDICA
De
CONVULSIONE,
AD PRAXIN CLINICAM
ACCOMMODATA,

PRÆSIDE

VIRO Excellentiſſimo atque
Experientiſſimo

GEORGIO VVOLFF-
GANGO WEDELIO,
Med. D. Theoret. P. P. Archiatro Ducali
Saxonico, & S. R. I. Nat. Curioſorum Adjuncto,

Domino Patrono, Præceptore ac Hoſpite
ſummâ obſervantiâ æternum ſuſpiciendo,

Publicæ Eruditorum examini
propoſita
à

CHRISTIANO LUDOVICO
GÖCKELIO, GOTHANO,
In Auditorio Medico,

Ad d. Octobris Anno M. DC. LXXXIII.

JENÆ,
Typis VIDUÆ SAMUELIS KREBSI.

26

VIRIS
Nobiliſſimis, Conſultiſſimo, Experientiſſimo, Excellentiſſimis, Ampliſſimis & Prudentiſſimis,

DOMINIS CONSULIBUS & SENATUI

Inclytæ Reipublicæ Gothanæ,

Dominis Patronis ac Promotoribus ſummâ obſervantiâ colendis,

Specimen hoc Academicum

in

gratiſſimi animi teſtimonium & ulteriorem ſtudiorum ſuorum commendationem officioſiſſimè dicat

Chriſtianus Ludovicus Göckelius.

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

SCribitur Apelles, famoſiſſimus pictor, in publicum locaſſe ſi quod confecerat opus, ſciſcitaturus ex occulto prætereuntium judicia, ut mutare poſſet, minus ex arte vel naturâ potius rei expreſſum.

Maluit ſcilicet aliis, quàm ſibi ſapere, & proficere magis indies per monita aliorum, modò convenienter id fieret, nec ſutor ultra crepidam.

Eundem in modum elaborata ſcripta aliorum oculis expoſita non minus ac arbitrio cenſuram ſubeunt diverſam. Omnibus placere ne Jupiter quidem poteſt, ut eſt in proverbio. Neque tamen ideò timendum eſt gravius, vel ſupprimendus ingenii fœtus, quod non æque excultus fuerit.

Imitabimur hâc vice mechanicas operas, quæ dato ſpecimine æſtimari ſolent, ut ſecutura exempla vel intermittantur, vel ocyus perficiantur. Damus ſpecimen praxeos Clinicæ, ſeu ad lectum enatæ, & ad lectum æſtimandæ, idque in graviſſimo & raro affectu, quod dum facimus, benignum adnuat numen!

Quò gravior & rarior affectus eſt convulſio, eò magis attendi meretur, ne medicum inveniat imparatum, aut facilè deterreat. Hinc notandum,

An adſit *tenſio in corporis partibus*, ad motum obeundum inſervientibus. In tenſione, ſive τάσει conſiſtit convulſionis genuina ratio, ut paralyſis, cujus oppoſitum eſt, in λύσει. In hâc membra tendi nequeunt, in illâ flecti.

An *circa articulos*, an *in mollibus partibus*, tendi tamen & contrahi aptis, obſervetur. Evidentius quidem & freqventius illud fit in articulis; Attamen Convulſio etiam partibus mollibus competit, quæ contrahi & tendi poſſunt, ut abdomini, aliisque carnoſis partibus, principaliter motui perfecto inſervientibus. Licet ſæpe magis convulſivum affectum in ordinariè magis patientibus & immobilibus dicamus, in reliquis convulſionem.

An *contractio* ſit *involuntaria, ac invita, coactiva*; Contractio ſimul cum tenſione viſitur, unde communiter etiam per contracturam convulſionem definiunt; id verò intelligendum eſt generalius de tenſione & rigiditate, aliàs fallit, nec perpetuum eſt. Involuntaria eſt, ad differentiam voluntariæ, ubi partes tendimus & flectimus pro lubitu.

An *tenſio fixa, conſtans, permanens* & *ſine κλόνῳ*, ad differentiam epilepſiæ & motuum convulſivorum, ſive convulſionis epilepticæ, ubi membra quaſſantur, ſive contractio eſt magis, eaque vaga, interpolata. In convulſione verò contrarium obſervatur ordinariè, & ſibi relictâ. Cùm verò & in epilepſiâ taliſmodi obſervetur contractio, hinc ſæpe convulſionis nomen latius paulò in praxi etiam pro motibus convulſivis uſurpatur.

An *tenſio dolorifica*, an *indolens*; ordinariè eſt dolorifica, à tenſione enim continuatâ fit ſolutio continui, quæ eadem quoque eſt cum tenſione, unde & dolores quivis graviores ſunt convulſivi. Et ipſa tenſio voluntaria continuata laſſat & triſtem ſenſum ſecum infert. Indolens tamen etiam aliquando obſervatur, licet rarius, & magis ferè in convulſione im-

impropriè dictâ, & ubi ſenſus partis non eſt integer. Ubi enim ſenſus non eſt, nec dolor, ſeu triſtis ſenſatio, locum habet.

An *tendines duri inſtar chordæ & tenſi.* Tenſio quidem eſt in toto muſculo, totoque articulo, ſpeciatim verò tendinibus, inde etiam dictis ſine dubio, competit; unde durities illa ad tactum patet, à tenſione forti & conſtanti.

An *tenſio ſit in toto corpore, an in parte certâ & definitâ*; ſeu an *artus* convellantur, vel *pars* aliqua *alia*, an corpus reliquum, citra artus utplurimùm. Alia nempe *univerſalis*, alia *particularis* hinc audit convulſio. Totum corpus afficitur in univerſali, ſaltim quoad partes pleraſque, & ob cauſam magis univerſalem, ubi ſpinalis medulla concurrit, quod in particulari non æquè fit, ubi nervi tantùm hujus vel illius partis afficiuntur.

An *contorta membra, an rigida*, utraque dirigi & flecti neſcia. Duplici hâc facie viſitur convulſio, vel adeſt contractio propriè dicta, ut membra retrahantur verſus ſuum principium, & contorta ſint inſtar arcûs, vel æqualis tenſio magis, unde diverſæ ſpecies enatæ.

An *incurvatio*, ſeu arcuatio capitis & corporis, ſeu trunci reliqui fiat *in partem anticam*, quæ dicitur emproſthotonus, ſeu convulſio verſus anteriora, wie ein Sprenckel / muſculis anterioribus magis contractis; An *in poſticam*, ut caput retrahatur, dorſum incurvetur, abdomen emineat, quam vocant opiſthotonum; An *æqualis* ſit *rigor*, ut neutrorſum flecti corpus poſſit, ſed inſtar trunci immotum & rigidum obſervetur, wie ein Scheid / quale quid etiam poſt mortem contingit ipſam naturalem, teſte experientiâ.

An *lateralis* potius fiat *inflexio & tenſio*, quæ tamen ad particularem referri poteſt, ut, quando colli ad humerum fit contractio, & incurvatio convulſiva, nullâ prægreſſâ luxatione, qualia exempla videantur apud *Bootium de affectibus omiſſis*, & *Meibomium in præfatione.*

An *ſenſibus integris* hæc peragantur; Ut enim in epilepſiâ facultates principes, intellectus & voluntas ſenſusque interni & externi, eclipſin patiuntur ſimul; ſic in convulſionibus ipſis minus

 fit,

ſit, quà talibus, ſed ægri videntes audienteſque interſunt quaſi & calamitatis ſuæ teſtes ſunt oculati, quod epilepticis minus conſvetum eſt.

An *cerebrum ſimul quatiat*, an *medius* inter convulſionem & epilepſiam affectus. Ut gradibus differt, & commodè diſtinguitur convulſio; ſic univerſalis quidem vulgato illo dicto ſenſu appellari poteſt, quando vel tetanus, vel opiſthotonus, vel emproſthotonus affligit. Sed, ſi ſequamur & conſulamus experientiam, datur etiam magis univerſalis & reverà talis, imò univerſaliſſima convulſio gravior aliquando, ubi nempe partim totum corpus, nec excepto cerebro, vel capite, cum ſuis facultatibus patitur, cum omnibus artubus & partibus, & omnes illæ ſpecies univerſales convulſionis laudatæ videntur, ut modò rigeat corpus, modò ante, modò retrò, modò ad latera torqueatur & contrahatur idem. Talem caſum miſerrimo ſpectaculo vidimus nuper admodum alicubi. Juvenis, viginti quinque circiter annorum, ſimilem affectum bis, vel ter jam paſſus, quotidiè manè horâ quartâ, octavâ, undecimâ, veſperi horâ quintâ poſt meridiem talem patiebatur convulſionem, ut ſenſibus privatus mox brachia rigida & totum corpus exhiberet, mox ante, mox retrò convulſa, mox in ipſum caput inſiſteret, pedibus elatis & rigidis, mox caput ſuccuteret, mox pedes, idque per quatuor ſeptimanas jam duraverat.

An *per paroxyſmos convulſio peragatur*, id quod more ſimilium interpolantium morborum minus periculoſum, magis tamen chronicum eſſe ſolet, uti etiam per ſeptendecim annos convulſionis in moniali meminit *Hercules Saxonia.* In fœminis verò tutiores ſunt hi affectus, quàm in meliori ſexu utplurimùm, partim quia humidiores, dilutâ ſic magis acrimoniâ, partim quod ferè per conſenſum in iisdem fiunt frequentius, ut alias rationes non laudemus.

An *unus ſaltim & continuus magis ſit paroxyſmus*, qui morbus acutisſimus, & ad horum inſtar quarto die finitur. Variat tamen id quoque pro diverſis gradibus, quibus viſendus eſt aliquando.

An *frequentes* hinc inde in corpore *ſub cute undulationes*, ſeu palpitationes, vel nodi contingant, quod & imminentem convulſionem arguit, &, conjunctum præſenti, ejusdem gravitatem. Debetur hoc, juxta *Helmontium*, vitæ, ſenſationi & motui, ſeu blas muſculorum naturali, *libro de flatibus* §. *15. 16. pag.* 337. ſeu notat irritationem majorem humorum, ſpirituum & fibrarum nervearum criſpationem.

An *flatus in corpore*, vel circa membrum affectum ſentiantur; flatus præ aliis tenſivi ſunt, non tantùm craſſi, ut in colicâ & ileo convulſivis, ſed etiam tenues, reſolutis & rarefactis humoribus acidis, rodentibusque.

An *vermium* indicia adſint; ſæpe in abſurdis & enormibus ejusmodi convulſionibus latent vermes, qui rodunt & perrumpunt aliquando ipſa inteſtina, ſimulque inficiunt humores, ut ſpiritus exacerbentur & ipſi, hinc meritò ſuſpicandum tunc eſt de vermibus. Inſigne tale exemplum conſignatum legi meretur *Anno primo Decadis ſecundæ Ephemeridum Germanorum*; ubi poſt mortem in cavitate abdominis inventi lumbrici, in fœminâ defunctâ, pro faſcinatâ habitâ, & capiti non rarò inſiſtente. Exempla etiam videantur apud *Grülingium*, *Cent. III. Obſerv.* 74. *pag.* 63.

An *faſcini*, vel *obſeſſionis* ipſius ſe offerant veſtigia. Præ omnibus aliis hic morbus facillimè omnium à vulgo refertur ad faſcina, & nullum æquè amat dæmon in obſeſſis, ut figuræ emergant tales, quibus torquetur corpus, quales per naturam exiſtere poſſe quis non facilè crediderit. Sic in dictâ univerſaliſſimâ convulſione linteamina ſimul cum fecibus alvi, ſæpe etiam nodis illigatis, excreta oſtendebantur. Probè tamen diſtinguenda omnia iſta, an ſphæram naturæ transgrediantur, nec ne, ne temerè præcipitetur judicium.

An *cum paralyſi* reciprocet, vel conjungatur convulſio, imbibitâ in poros nervorum ipſos materiâ morbificâ, cùm aliàs extimam & fibroſam illorum partem afficiat magis. Duplicem convulſionem cum paralyſi conjungi obſervavimus, utramque indolentem; Primò, quando obſtructionem excipit

irritatio, læſo inprimis cerebro per vulnus; quæ tamen frequentius ſolet eſſe ſpuria convulſio; ita verò vocant, quando alternatim movetur & tenditur membrum, epilepticam. Secundò, quando ita exſiccati ſunt tendines, ut ablato ſenſu & motu, ſi tendantur ab extra, convellantur. Vidimus id in paralytico adoleſcente, cujus pedes ob tenſionem talem arctiſſimè cohærebant, &, quando ligno intermedio, ut opus erat, disjungebantur, rigida flectebantur in alium locum. Quâ occaſione tamen aliud notandum occurrit:

An *vera* ſit, an *apparens* convulſio, prout variat tenſio, ſenſus, & affectionis modus. Ad apparentem etiam referri poteſt contractio permanens. Dicitur quidem ita & convulſio vera, ſed ſaltim reſpectu vagæ convulſionis epilepticæ. In contracturis verò, (quas æmulatur convulſio magis propriè dicta, quàm conſtanter præbet) membra incurvata & rigida manent.

An *convulſio* ſit *hyſterica*, univerſalis puta. Obſervavimus aliquoties tùm motus convulſivos hyſtericos varios, tùm tetanum, ut rigidum corpus flectere non poſſet ægra. An *ſcorbutica*; ſcorbutus quippe admodum ferax eſt convulſionum & motuum convulſivorum, ſi nervoſum genus incutiat ſuo veneno.

Quem typum alium morbus teneat, ita enim ſpecialius dignoſci & diſtingui ulterius poteſt.

An *primarius* ſit, nulli alteri morbo ſuccedens, an *ſymptomaticus*, an *comitatus*, in ſpecie quoad febrim. Si febri ſuccedat convulſio, pejus eſt, quàm, ſi convulſioni febris. Sique febris non adſit, ut in chronico ſtatu, facilè in paroxysmis tamen pulſus cietur, celer & frequens evadit.

An *vires reſolvat*, an *hæ ferendo ſint*. Vires acutiei gradum definiunt. Sæpe maximâ convulſione, qualis dicta erat, prægreſſâ, vires tamen reſpondent, ægri edunt, bibunt, cœteroqui benè habent, & ſani quaſi apparent extra paroxyſmum omninò. Graviores tamen ſunt ſtatariæ, quæ

ſtatum

atum tempus, diem, horam ſervant, chronicæ utplurimùm
agis futuræ. Sin vires vitales labaſcant, vel convul-
one ad ipſum cor vibratâ, actum eſt de ægro. Medio
atu acutorum ſimpliciter, ſeu communium ſequitur mo-
em, ad quatuordecim, viginti unum dies perſeverans.

An *terror* figens, ſpiritus magis & vitiosè in ſpatia fi-
rarum nervoſarum præcipitans, prægreſſus; an *ebrietas*,
n *vulnus*, ſeu capitis, ſeu partis nervoſæ & tendinoſæ,
t vulnera & contuſiones temporum; Vid. *Lang. l. 1. ep. 10.
g. 45. ſeq.* ut *trepanatio* in ſuturis facta. An epidemius &
alignus ſit morbus, qualis ſuperioris ſeculi fine 1597.
Germaniâ viſus, Die Kriebel-Kranckheit. Videatur *Senner-
s libro de febribus.*

An *repletio*, an *inanitio* præceſſerit, quæ cauſæ ſunt commu-
es Hippocraticæ, communes tùm univerſali producendæ con-
ulſioni, tùm aliis. Utraq; irritationem infert, quâ mediante con-
ulſio exoritur; repletio inflando magis nervos & tendines,
auſa poſitiva, inanitio magis ſiccando & vehiculum ſpirituum
landum abſumendo, cauſa privativa.

An *convulſio ſit particularis & determinata*, v. g. *oculo-
um*, qualis eſt ſtrabiſmus, convulſioni junctus & permanens,
detorſione & tenſione muſculorum ocularium; *Oris*,
uæ duplex eſt, licet unam eandemque etiam faciant ple-
que: ſpaſmus cynicus, quando ad alterutrum latus; ri-
s ſardonius, quando ad utrumque fit tenſio.

An *paralyſis lateat alterutrius lateris*, ut contractio
agis alterius lateris fiat per accidens, reſoluto altero.
alet id non tantùm in contractione cervicis, ſi enim non
qualiter ſuſtineant muſculi laterales caput, neceſſum eſt,
lud mole ſuâ in reſolutum latus inclinare, & partem alte-
m hinc ſimul tendi; ſed quoque in ſpaſmo cynico, ut di-
mus jam, qui hinc quoque eſt convulſio impropriè ma-
s. Speciatim in riſu Sardonio tenſio magis eſt, quàm
aralyſis, per accidens tenſiva; de quo locus elegantisſi-
us notandus *Actuarii lib. 5. meth. med. cap. 12. pag. m. 425.*

Quæ in Sardiniâ, *inquit*, herba gignitur, & ranunculi ſpecies eſt, pota, vel comeſta, mentem abalienat, convulſionem affert cum labiorum contractione, ut riſus imaginem præbeat, à quâ affectione riſus Sardonius haud ſatis laudabili dicterio inter homines jactatur.

An *convulſio linguæ*, quam exertam ſæpe & tenſam ejusmodi caſu videas, ejusdem nervis convulſis. An *oris* alia, quando aperiri nequit; *œſophagi*, quod ab uſu venenorum, ut bellæ donnæ, fit, unde deglutitio fieri non poteſt, niſi aceti hauſtu propinetur antidotus. Videatur *Sennertus* in *praxi*. An convulſio *brachii*, vel contractio & contractura à Venæ ſectione improvidâ, tacto nervo, vel tendine. An convulſio *penis* in priapiſmo, cujus ſimile quid à flatuoſo ſanguine occurrit in pueris, ſeu rigiditas ſit æqualis magis, ſeu obliqua, unde & urinæ ejaculatio diverſa, à ligamentis nerveis variè convulſis. Idem valet ſuo modo in fœminis, convulsâ vel quaſi clitoride, quod itidem obſervavimus.

An *convulſio uteri*, non tâm quoad ligamenta, quàm quoad corpus ipſum, unde in manifeſtè & citra controverſiam hyſtericis manu licuit deprehendere ejusmodi tenſionem globularem, wie ein Kindes-Kopff / inquiunt appoſitè mulierculæ, æmulatur enim reverà caput infantis tempore geſtationis, etiam in ipſo puerperio ſæpe, factâ fibrarum nervearum ejusdem convulſione.

An *ſpaſmus manuum, vel pedum ſurarumque*, quem vulgò flatulentum vocant, der Krampff; Eſt reverà convulſio, ſed particularis, cujus exemplo & intuitu licet argutari & ratiocinari etiam de publico & aliarum partium. Unaquæque nempe convellitur ad ſphæram ſuæ irritationis, aut ſenſationis & motionis potius.

An *in corpore obeſo contingat*, accedente ſalinâ acrimoniâ tenſivâ & nervis ad id diſpoſitis. Neque enim id adeò eſt inſolens, quin ſcorbuticus quoque ſeorſim ſpaſmus flatulentus manûs ſiniſtræ à nobis viſus eſt. An *corpus exuccum*

& ma-

& macrum magis, ubi facilius nervi comprimi poſſunt, velut magis nudi, atque ſic irritando tendi, ſeu convelli.

An *prægreſſa tenſio externa*, inde enim ſpasmum pati deprehenduntur frequenter ſeu manus, ſeu pedes, exemplo piſcatorum vel natatorum, qui confiſi natandi peritiæ à continuatâ tenſione ſæpe in abyſſum abripiuntur, non rarò, ut fit, neſcio cui ſpectro adſcriptâ merſionis causâ; Seu ſuræ ipſæ quoque, inprimis ultra, quàm ferre poſſint, elongatis articulorum tendinibus. An *compreſſio*, quod & in utroque ſexu, maribus præſertim hypochondriacis, viſitur ſub primum ſomnum, ſi ſupini decumbant, concurrente & compreſſione iſtâ, & flatuosâ diſpoſitione. An in *gravidis* fiat, ultimis menſibus; ibi enim non minus, à compreſſione majori uteri, ligamenta tendinoſa muſculorum pſoas & aliorum tenſionem patiuntur & ſpaſmum admodum moleſtum. Adeoque an *ab errore externo* talismodi, vel *facultate læsâ*, ſeu intemperie, ſeu conformatione, ſeu unitate ſolutâ.

An à *purgatione immodicâ*, ſeu *hypercatharſi*, unde non ſolùm ſpasmus ab helleboro fit, juxta *Hippocratem*, ſed & à mitioribus aliis, ut gialapâ ipsâ, etiam minori doſi propinatâ, ſi fortius, quàm par erat, irritatio procedat, quale exemplum notavimus *Anno X. Ephemeridum Germanorum obſerv. 75. pag. 204.*

Præſuppoſito ergò, in convulſione omni eſſe motum tonicum paſſivum, & fibras nerveas motrices vel inflatas, vel irritatas quoad extimam potiſſimùm membranam delicatam & ſenſilem, vel diſtortas penitus, adeoque ſtricturam talismodi tonicam pati; Hinc

I. *Inflatio & inæqualitas ſpirituum tenſiva tollenda & moderanda eſt.* Concurrunt ad motum principaliter ipſi ſpiritus animales, qui in præternaturali hoc ſtatu vel inflant ἐνορμῶντι ſuâ virtute, peregrinâ & hoſticâ factâ plus quàm debebant, vel inæquales facti ſunt.

Inflationem tollunt, quæcunque imminuunt impetum. Imminuit *Vena Sectio*, inſigniſſimum hinc convulſionis remedium.

dium. Quales enim humores, tales ſpiritus, quales ſpiritus, talis motus. Venæ Sectio locum habet in convulſione, præſente dictâ inflatione, ſeu repletione, unde inflant & inflando tendunt magis ſpiritus, inſtituta potiſſimùm in latere oppoſito duplicem ob rationem: Primò ad revulſionem majorem; Secundò ob quietem majorem. Sanè difficilis ſæpe eſt curatio convulſionis etiam ob id, quod ob tenſionem continuatam, imò irrequietam & convulſivam ſæpe non tuta ſit Venæſectio, quippe quæ quietem requirit, motu facilè profundendo largius ſangvine.

Tantoque magis Venæſectio deplet & tollit inflationem oneroſam ὀργασμώδει, ſi hæmorrhoides obſtructæ, vel fluxuræ impeditæ, ſi menſes ſuppreſſi, ſi alia prægreſſa, quæ eandem inferre magis potuerint. Moderanda verò eadem ad vires.

Imminuunt *cucurbitulæ* toti dorſo applicatæ, tùm ſcarificatæ, tùm ſiccæ diſſipantes. Ad extra hæ vocant gas peregrinum inflativum, quod & exin probari poteſt, quod in motu tonico naturali & voluntario conſtans inflatio, ſed naturalis requiratur, ad ſuſtinendam partem in æquali poſitu.

Imminuit *victus tenuis*, abſtinentia à carnibus, vino, ovis, quod *Cardanus obſervationibus admirandis capite 16.* fecit cum ſucceſſu. Motus tonicus robur importat; Quapropter ſpiritus debilitandi ſuo modo, ut ſic moderatius & pacatius influant, ſequentes directorium archei. Valet id in priapiſmo ſpeciatim, & convulſione à repletione aliâ.

Imminuunt refrænantia calorem *alterantia*, inprimis ſimul *Cephalica*, ut acida, potiones refrigerantes diluentes, decoctum hordei cum C. C. chinæ, ſarſæparillæ, quæ ſimul diſcutiunt. Item *nitroſa*, ⏀ ♃atum, arcanum duplicatum, ℞a pæoniæ, papaveris rhæados cum ſpiritu ⊖li cephalico. Licet enim ſpiritus non æquè efferati ſint in toto, ut in maniâ & furore delirante; tamen tales ſunt in parte, quam ſuſtinent & rigidam reddunt.

Con-

Contrà ea inæqualitatem tollunt & moderantur, quæcunque debito & ſufficiente vehiculo lymphæ ſpiritus inſtruunt, quam convulſionem ab inanitione vocant, analeptica, victus plenus, juſcula avenacea, gelatina cornu cervi, vinum ipſum, carnes, & ſtatus in totum contrarius; proſpiciendo ſimul occaſionali cauſæ, ſeu hypercatharſi, ſeu doloribus enormibus, ſeu ipſi quoque paralyſi conjunctæ, quæ ſingula contractiones vel per ſe, vel per accidens tales dare apta nata ſunt. Hæc verò, cùm dicendis aliis conſentiant & coincidant, non opus eſt laudare pluribus.

II. *Humores figentes, coagulantes, irritantes, acidi, auſteri, atrabilarii fixiores corrigendi ſunt.* Concurrunt ad motum, præter ſpiritus, humores, ſpirituum vehicula; horum igitur vitiis concurrentibus in convulſione proſpiciendum eſt quàm maximè.

Proſpiciunt *diaphoretica*, ſive malignitas ſimul corrigenda fuerit, ſive ipſum faſcinum, ſive febris conjuncta, ſive humores exorbitantes & eccentrici in ordinem redigendi. Laudem hinc meretur ℞a bezoardica, M. S. diaſcordium Fracaſtorii, theriaca, mithridatium, ⊖ CC. volatile, ⊖ ſuccini volatile, ℞a coralliorum cum ⁓ CC. ⁓ ſuccini, C. C. ebor. bezoardicum ♂iale, ♃iale, ☽are, ☉re, non omiſſis nervinis. Optimè enim diaphoretica cum cephalicis miſcentur.

Proſpiciunt *emetica*, quæ & debilitant ſpiritus ferocientes, ſublatâ cauſâ, bile cum acido confermentatâ inflativâ, & mineram tollunt è præcordiis. Obſervavimus feliciſſimè operata in convulſionibus hiſce emetica, ⊖ Ϭli, ♀rum emeticum, oxymel emeticum; ſine quibus difficulter reſiſtere licet huic dæmonio. Poſſunt verò & hîc non minus, ac in purgantibus, perpetuò remiſceri nervina, ut caſtorina, ſecundariâ & refractâ doſi.

Corrigunt nempe inprimis quoque *purgantia*, eaque paulò fortiora, ſi morbi acuties non obſtet, ex extracto

 pan-

panchymagogo, hellebori ſimplici & ♂iali, agarici, colocynthidis, cerbero tricipite, pilulis ☿eis, decocto hellebori nigri; ſeu purgantia cum cephalicis infuſa itidem, in malo antiquo & durante magis. ☿ius dulcis quoque vermibus infeſtus huc laudandus, & alia è ſuis loculis. Sin morbi violentia minus eadem concedat, vel admittat, *clyſteres* fortiores officium faciunt, inſigniter corpus & conſequenter caput & nervos levantes, ex emollientibus, cephalicis, nervinis & purgantibus concinnati, & pro re natâ repetiti.

Corrigit *ſalivatio*, in graviori & longiori malo omninò ſvadenda, ſeu per inunctionem, ſeu intus per pilulas ☿iales promota, cum cautelâ debitâ. Corrigunt *veſicatoria*, lymphæ acrioris & rodentis genuina præſidia, applicata nuchæ, brachiis, ſcapulis ex emplaſtro veſicatorio de cantharidibus. Cauterium in nuchâ inuſtum, & ſetaceum magni quoque auxilii ſpem præbent.

Corrigunt *cephalica* & *antepileptica* alia, ut ſpecies diamoſchi, diambræ, perlæ præparatæ, hyacinthus, ſmaragdus orientalis, unde electuarium ſuum confecit *Cardanus*. Item laudanda præcipuè liquor cephalicus, ⌒ ⊖ ✱ci ſimplex, rutaceus, vel aliis modis oleoſus redditus, elixir cephalicum, p eſſentia ſuccini, caſtorei, ſalviæ, ℞a Ɖæ, ſpecies diacaſtorei, ſpecificum cephalicum Hartmanni, Cratonis, Michaelis, cinnabaris nativa, ♎ata, cryſtallina; viſcus colurnus, quernus, & ejus ſpiritus; ⌒ volatilis liliorum convallium, rutæ, pulvis epilepticus Marchionis, ungula alcis præparata, cranium humanum præparatum, dens hippopotami, caſtoreum in ſubſtantiâ, pulvis bezoardicus Sennerti, decoctum ſcorzoneræ; modò volatilia propinando magis, præcipuè, ubi febris non adeſt, ubi πῦρ ποιεῖν, *ignem facere* jubet *Hippocrates*, modò fixa, præſertim circa noctem.

Corrigunt *anodyna* cum dictis mixta, ſeu in mixturis, unde huc faciunt potiones ex aquis cephalicis, ceraſorum nigrorum, florum pæoniæ, tiliæ, liliorum convallium, ex-

tractis,

tractis, ſpiritibus, ſirupis; ſeu in formâ ſolidâ, ut pulveres ex dictis cum laudano opiato, vel ♁re anodyno & caſtoreo mixti, aliaque. Tantò magis quidem, ſi hypercatharſis fuerit ſedanda, ſi dolor exacerbatus major.

Corrigunt *anthypochondriaca*, *antiſcorbutica*, *hyſterica*, *carminativa*, ſicubi in hypochondriis, bile, inteſtinis, ſero, minera & fomes fovens ſit extirpanda, ex ♂ialibus, aperitivis, eſſentia carminativa, imò & anthelmintica præcipuè; quibus omnibus cùm velificetur caſtoreum, meritò ſpecifici nomen meretur & in convulſionibus.

III. *Partium convulſarum, nervorum, muſculorum & artium determinatarum tenſio, diſtorſio, vellicatio & contractio æqualis & inæqualis demulcenda ac mitiganda eſt.*

Demulcent, præter interna illa dicta, *topica*; muſculi enim illorumque fibræ nerveæ motrices vel per ſe, vel per accidens, ac tendines ultimatè ſuſtinent motum, motoribus ſpiritibus & humoribus concurrentibus. Pollent nervi omnes delicato admodum ſenſu, qui in convulſione quoque conſpicuus cùm ſit, meritò attendendus eſt.

Demulcent *emollientia*, ut olea varia, uti *Cardanus l. c.* lintearmina cum oleo liliorum alborum & chamomillæ imbuta impoſuit cum ſucceſſu. Sic & oleum amygdalorum dulcium, ungventum anodynum, ungventum dialthææ, balnea ex oleis ſolis, teſte *Heurnio* 2. *aph.* 26, 4. *aph.* 66. ſolantur partes afflictas. Sic pingvedo humana & ſpaſmum obeſiorum & alium quoque demulcet. Par ratio eſt reliquorum.

Demulcent & emolliunt *nervina paregorica*, ſeu ſola, ſeu mixta inter ſe, ut balnea ex dictis concinnata, balneum formicarum cum origano, majoranâ, polio montano, betonicâ, chamomillâ &c. Ex oleis, oleum cheirinum, irinum, caſtorei, vulpinum, laurinum, nardinum, petroleum, lumbricorum, ſpicæ' laterinum, ſuccini, ſalviæ, juniperi, ſaponis, balſamum ♁ris Rulandi, ungventum aregon. martiatum, nervinum, de viſco querno *Carrichteri*, galbanetum

Crato-

Cratonis, Paracelſi, Sylvii, pingvedo caſtorei, ∽ & eſſentia caſtorei, apoplecticus, juniperi, carminativus Sylvii, ▽ anhaltina, ∽ formicarum, linimentum nervinum, balſama nervina &c. quæ ipſa & per ſe conveniunt illita, ſeu ſpinali medullæ, in univerſali magis, ſeu parti affectæ & tenſæ, ſeu oppoſitæ in paralyſi conjunctâ; & poſt balnea.

Demulcet & diſſipat ac mitigat *frictio* blanda, quæ in ſpaſmo flatulento vel ſola ſufficit, ut & *ſitus mutatio*, ſi quidem fiat à compreſſione; ſeu corpus in latus oppoſitum flectatur, ſeu ſurgat, & deambulet. Ita enim optimè curatur ſpaſmus talis flatulentus, v. g. gravidarum. Obſervavimus verò ſpaſmum flatulentum in iis præſertim occurrere, qui ad epilepſiam ſunt proni & diſpoſiti. Hinc talismodi nervina internè & externè non omittenda.

Sic & in convulſionibus cervicis & maxillarum cavendum eſt, ne fortiori manducatione & tenſione revocetur malum, ſed ſorbilia magis in uſum veniant, & quies neceſſaria concedenda eſt.

Demulcent aliquando & *ſuffitus*, tùm ex ſpeciebus pro ſuffimentis uſitatis, tum aliis. Curavimus aliquando clitoridem propendentem & tenſam in fœminâ, qui priapiſmus fœmininus dici poteſt, ſolo ſuffitu olei olivarum in laterem candentem ſucceſſivè effuſi.

Demulcet etiam & inflationem tollit aqua frigida affuſa, quatenus ſpiritus de ſtatione peregrinâ dejicit & diſſipat, unde eo caſu quàm maximè locum habet, aliis verò non ita promiſcuè. Sic & in priapiſmo & pruritu teſtium conjuncto ſolum elementum aquæ eſſe ſolet remedio. De eo agit *Hippocrates* 5. *aphoriſm.* 21. & 25.

Tortor adeſt, miſero tenduntur membra dolore,
Nec motu gaudent officioſa ſuo.
Te ductore malum cedit ferale; laborem
Compenſare ſtudent præmia, fama decens.

Genuinorum & ſolidiſſimorum profectuum non minus ac benevoli affectus hoc teſtimonium ſiſtit ſincerum

PRÆSES.